

dum infantibus umbilicus ad locum insertionis abrumpitur.  
Atque haec de secunda Classe Cardiacorum sufficient, jam ad  
tertiam progrediendum.

## §. IIIO.

Tertia Classis Cardiacorum sive Mo-  
ventia.

## Flores, &amp; Herbæ.

**C**ROCUS mirum adeo teste *Cel. Boerhaavia* corpus, ut nul-  
lum ei simile in rerum natura inveniatur. Fragrantiam  
gratam penetrantem admodum, exhilarantem primo, &  
motum spirituum augentem; dein vero narcoticam & stupefa-  
cientem habet; si que diu clauso in cubiculo libero aeri expo-  
sus odoretur, somnum, apoplexiā, & mortem adserit: qua-  
lia tristia exempla (heu!) complura varios apud authores re-  
censentur. Penetrantissimas proinde Crocus vires possidet, om-  
nes corporis officinas pervadentes. Aspergimus enim brevi urin-  
am croceo colore tingit. Vires habet diureticas, anticolicas,  
exhilarantes, sudoriferas, aristolochicas, & emmenagogas: ea-  
propter in difficultatibus mensium, si ex terrore impedita subi-  
to transpiratione emanferint, & debita sanguinis copia adsit,  
in aqua solutus, aut jusculis additus, plurimum adjuvat: sed cor-  
poribus inertibus, mucosis, & laxis hunc in finem nihil pro-  
dest: illis enim potius chylopoiesin, & hematopoiesin instau-  
rantia conveniunt. Si præterea lochia ob uterum inflammatum  
non fluant, Crocus nocet. In hypochondriacis, & hystericis  
turbis, dum tristia animi pathemata a systemate nervoso oriun-  
tur, summi est usus: fin autem humores crassi stagnantes, mali  
hujus causa fuerint, juvat nihil, imo etiam obest. Summum de-  
inde Crocus sudoriferum cum sit, in casu, ubi vires ab initio  
variolarum, vel in aliis morbis exanthematicis oppressæ sunt,  
æger languet, pulsus debilis est, extrema frigent, pulchro cum  
succesu datur. Si vero debilitas oriatur a plethora, qualem  
*Sydenham* frequenter in ægris observavit, venæ sectio, non Cro-  
cus

cus est cardiacum. Dosis ejus in substantia sunt gr. XV, gr. XX. imo & XXX, quamvis in pulvere non tantam energiam habeat, cum exsiccatus multum virium suarum perdat. Laudant nonnulli Crocum in collyriis, dum lacti eundem infundunt, quo internas dein palpebras in ophtalmiis inungunt. Si ex mica panis cum lacte cocta, additis sub finem granis tribus aut quatuor Croci austriaci (hic enim reliquos bonitate fere præcedit) cataplasma conficias, perfectum suppurans obtinebis. Prostat in officinis *Tinctura & essentia Croci*, quæ a guttis X. ad gutt. XV. data, satis valide movet. *Extradum Croci* admodum virtuosum est, quod massis pilularum sœpe, sœpius tamen mixturis admiscetur; præsertim si humidum adhuc fuerit: siccum vero pulveribus sudoriferis in morbis exanthematicis additur. Dosis illius sunt gr. III. IV. VI. VIII. *Aroph* denique *Paracelsi* nihil est aliud, quam concentratissima *tinctura Croci* alcohole facta, quod ad paucas etiam guttas vires pulchre erigit, dum suscepto miasmate venenoso totum *corpus* opprimitur, & languescit.

*JASMINUS* ob gratum, & spiritus excitantem odorem huic resertur: est autem duplex Jasmini species, *alba* nimirum & *flava*, in medicina tamen nullius usus: *oleum Jasmini* infusione paratum præter odorem nullam virtutem possidet: in balsamis quidem apoplecticis locum habet, sed hystericis minus est tolerabile.

*MELISSA* gratum aliquid, nervis amicum, reficiens, & spiritus nimium torpidos excitans habet: quod subtilissimum aroma, si requiratur, recens (exsiccata enim multum de illo perdit) aquæ, aut vino, sed frigide, vase clauso infunditur, quibus amabilem, cito tamen evanescensem fragrantiam conciliat. Infusum Melissæ aquosum in arthriticis & podagricis malis, in rheumatismo a subito cohibita transpiratione orto, haud exiguum levamen adfert. Quoniam vero fragrantiam adeo exhilarantem habet, infusum ejus cum vinosum, tum aquosum in malis Melancholicis, Hypochondriacis, & Hystericis, in tristitia eorundem admodum prodest. Solent tunc m. II. plantæ cum fl. I. aquæ infundi. Præparata, quæ ex *Melissa* in officinis prostant, sunt *spiritus simplex & compositus*; *oleum essentiale*; *aqua stillatilia*, & *conserua*. Spiritus in colica frigida, & flatulenta, concomitante debilitate (cave enim, in colica inflammatoria

eum

eum exhibeas) ad aliquot cochlearia datus, non infimum locum sibi vendicat, atque in animi deliquio a debilitate virium, defectuque spirituum oriundo, absente iterum omni inflammatione interne adsumptus, & naribus attractus, egregium levamen adserit. Oleum essentiale est fragrantissimum, gratissimumque, quod iisdem sub cautelis in morbis frigidis, in animi debilitate, & solidorum laxitate forma eleosachari ingestum, praestantissimum esse reperitur: sed pretiosum est valde, & vel ideo rarius prescribendum. Aqua Melissæ præsertim cohobata, efficax est admodum, & in morbis, ubi non validus, sed permeabilis stimulus requiritur, insignem energiam exerit. Cl. Boerhaave Chemie Tom. 2. process. 16. de virtute hujus aquæ sequentia refert: „ in „ Melancholicis, Hypochondriacis, Hystericis, Chlorosi labo- „ rantibus, palpitationi cordis obnoxiiis, quoties hæc mala „ a spirituum perturbatione magis, quam a materiæ morbificæ „ mole aggesta pendent, vix par remedium reperies. Conser- „ va non integris adeo viribus gaudet, ac in electuario prescribi- „ tur. Aquæ l'eau des Carmes dictæ Melissa præcipue basin facit, „ quæ in frigidis tantum & debilibus corporibus tam celebre no- „ men obtinuit.

### Vina fragrantia.

T Alia sunt Vinum Hungaricum, Mosellanicum, Rhenanum non antiquum nimis, vel & Burgundicum aut Campanicum, sola vel cum floribus aut herbis infusa, quæ in debilitate a defectu spirituum orta maxime conducunt: plethoricis vero ab iis omnino esset abstinentendum. Austriacum & Rhenanum cum Marte prescribuntur: Vinum Hispanum, & Tokainum in hydrope, in senio debili apprime convenient. Sydenhamus in variolis, dum vires in studio exsiccationis languebant, vinum bonum generosum Canariense cochleatum dederat, ut denuo excitarentur: nos Hungaricum, quod est acidulum, reborans, & vires excitans, substituere possumus, ac omni trihorio tali in casu duo, vel tria cochlearia exhibere. Imo in aliis morbis exanthematicis, ut in miliaribus, ubi vires adeo prostratae erant circa tempus criseos, ut materiæ morbosæ expellendæ haud sufficerent; Perillustris Professor Antonius de Haen externe ad loca magis bibula, nimirum

sub axillis, & ad inquina linteal-vino madida cum effectu applicuit, dum vinum ob stimulum interne exhibere metuebat.

Omitto hic loci pretiosa illa remedia odorata Indorum, qualis est *Lapis Bezoardicus*, *Lapis in vesica fellea Hystricis Americani haren*s, *Lapis del Porco dictus*, *Lapis de Gos*, &c. quæ ut ut bona quibusdam videri possint, minus tamen sunt efficacia, quam vinum fragrans, quod cum pane biscoito plus reficit, quam lapis quisque pretiosissimus. Idecirco sequitur

### §. III. 2.

## Quarta Classis Cardiacorum seu stimulantia.

### Leniter aromatica.

**A**NANAS sapidissimus fructus est, pyra, poma, fraga &c. odore suo referens, & inter leniter stimulantia, parumque simili nutrientia locum habens. Impune autem, & cum utilitate suo tempore assumentur, ubi nempe spiritus inertes movendi sunt, licet quidam authores eundem sputum cruentum producere afferant.

**FLORES BORRAGINIS** imo & tota planta, in qua sal nitrosus quasi polychrestus habitare videtur, in usus medicos adhibetur. Vis illi solvens ineft: ideoque jusculis eorum, quibus alvus adstricta est ordinarie, cum Cichoreo, Taraxaco, Endivia, incoquitur. Succus ejus expressus cum succo Cichorei, Graminis &c. in Melancholia, in malo Hypochondriaco, ubi intestina atra illa, & picea saburra repleta sunt, bono cum succetu exhibitetur. Flores ob lenem fragrantiam laudantur, & omnium optime vino frigido infunduntur. Dosis non est periculosa: flores enim ad libitum, folia ad m. II. III. pro lb. l. liquidii, e. g. seru lactis, dum vis solvens requiritur, præscribuntur. Prostat conserva, & aqua destillata Borragini, quæ non adeo magnarum sunt virium; syrpus tamen utcunque bonus est.

BETO.